Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

regis. ut in hystoria libri secundi paralipomenon indicatur. qui fidem promissam nabuchodonosor regi chaldeorum non servaverat. populum israel refert cum memorato rege ierusalem expugnata captivum in babyloniam fuisse perductum. Iterum memoratus populus multis temporibus ydolis serviendo etiam effusione sanguinis innocentium se gravavit in peccatis. volens deus generationem universam eiusdem populi ob causas memoratas penitus deperire. lxx annorum captivitatem eundem populum in regno chaldeorum statuit sustinere. hac ratione. ut completo numero annorum novus populus immunis a memoratis peccatis ad renovationem ierusalem perveniret. Lx itaque secundo anno regni chaldeorum [illegible] cui adhuc viii anni ad regnandum restabant. quod etiam vii visio daniel ostendit. propter causam sacrilegii que in eadem visione continetur fuisse extinctum. darius qui medis imperabat ut vii visio daniel ostendit memoratorum regno successit. Cuius primo anno regni ut x visio ostendit daniel supputatis annis videns appropinquare tempus reversionis que per ieremiam fuerat promissa orans tam pro se quam pro populo eandem promissionem a deo postulabat impleri. Cui per gabrielem angelum in visione eadem universe preces eiusdem innuisa esse completa dicens e[...]. Nam in oriente dario rege medorum et succedente in regno cyro rege persarum promissione dei completa per eundem regem populum israel in ierusalem reductum hystoria libri secundi paralipomenon et primi esdre confirmat. Cumque a populo israel et a senioribus templum dei edificari cepisset. mortuo cyro rege ac regnante dario rege persarum qui memorato successerat vicine gentes civitatis ierusalem. ut idem esdras refert. restaurationem templi et civitatis resistendo impedire ceperunt. Qua ratione deterriti populus israel restaurationem super dei templi domini necdum iuxta promissionem concessam esse credebat. Propter quod in secundo anno regni memorati darii regis persarum. aggeus propheta a deo missus ad zorobabel qui de tribu iuda principatum regni susceperat [erat] et iesum filium iosedech summum sacerdotem. admonet ut credant completo numero annorum tempus restaurationis ierusalem advenisse. hoc addito ne incredulitatem populi vellent imitari de quo deus dicit. Populus hic dicit. Nondum venit tempus ut edificetur domus dei. Omnia autem que textu huius prophetie continentur. reversionem populi. edificationem templi. renovationem civitatis. observantiam sacerdotalem et initium regnorum ceterorum significant. Explicit Prologus. Incipit Aggeus propheta.

In anno secundo darii regis in mense sexto in die una mensis. factum est verbum domini in manu aggei prophete ad zorobabel filium salathiel ducem iuda. et ad iesum filium iosedech sacerdotem magnum dicens. Hec ait dominus exercituum dicens. Populus iste dicit. Nondum venit tempus domus domini edificande. Et factum est verbum domini in manu aggei prophete dicens. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis. et domus ista deserta. Et nunc hec dicit dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum et intulistis parum. Comedistis et non estis saciati. bibistis et non estis inebriati. Operuistis vos et non estis calefacti. Et qui mercedes congregavit mis